Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Cursus studiorum monasticorum, sive series sublimium disciplinarium - Cod. Ettenheim-Münster 99-110

Thelogica universa - Ettenheim-Münster 107 - Tom. I

Cartier, Gallus

[S.l.], 1745

Praefatio

urn:nbn:de:bsz:31-111007

Visual Library

In Universam Theologiam Præfatio.

Emensô bonis avibus Philosophiæ curriculô Sacræ Theologiæ palæstram ingredimur, in ea per aliquot annorum spatium nos exercitaturi: felices, imò terque quaterque felices, si sacrum ac sublime studium istud, quod jucundè auspicamur, cum câ, quâ par est, utilitate finiamus.

Theologiæ studium sacrum et sublime vocamus; illud enim in eo dumtaxat versatur, ut videlicet de Deô ter optimô maximô, quô utique nihil sacratius, nihilque sublimius et augustius cogitari potest, rebusque cum spectantibus sermonem faciat; quod vel illius complexum è græcô idiomate transumptum nomen prodit, cujus etymon si interpretari velimus, non quidquam aliud est Theologia, quàm Sermo de Deo, seu Divinus Sermo. ΘΕΟΣ quippe græcum nomen Deum, et Λόγος itidem vox græca Sermonem apud latinos significant.

Non est proinde, quòd in hujus Disciplinæ dignitate extollendâ immoremur, cùm ipsum nomen divinum aliquid spiret, atque ad illius amorem

allicit. Nam ut egregiè tradit S. Thomas*, Inter omnes hominum curas Studium Divinæ Sapientiæ est perfectius, jucundius et utilius. Perfectius quidem, quia per divinorum contemplationem homo magis ad Dei similitudinem accedit; utilius, quia per veritatis notitiam ad veram beatitudinem omnium humanarum creaturarum scopum pervenitur; jucundius denique, quia nihil suavius veritate, quam omnes naturaliter concupiscimus, et quâ adeptâ felicitatem invenimus, dicente S. Augustinô*, Beata vita est gaudium de veritate. Et quemadmodum Deus Optimus Maximus cætera omnia infinito præcedit intervallo, sic etiam Theologia, utpote cujus materia Deus ipse est, et quidquid ad ipsum spectat vel dirigitur, cæteras quasque Disciplinas dignitate in immensum ~~et~~ antecedit, atque per se ipsam spectabilior est, et commendabilior, quàm ut aliquam laudis adjectionem postulet, aut mutuari egeat; quippe quæ nativâ se nobilitate commendet. Siquidem nulibi ita ac in Sacrâ Theologiâ quidquam invenitur, quod vel ad veritatis discussionem aptius, vel ad Catholicam fidem defendendam solidius, vel ad illustrandum animum splendidius, vel ad veram contemplationem fovendam firmius, vel ad ciendos pietatis affectus

* Lib. 1. cont. gent. c. 2.

* Lib. 10. Confess.

suavius, vel ad mores formandos securius, vel ad omne virtutis officium salubrius, vel ad pregustandam in hac lacrymarum vale Sanctorum felicitatem auspicatius sit; prout ex ipsius tractatione liquet.

Vel ex his, quæ modò eloquti sumus facilè dignosci potest, quanta sit etiam hujus Sacræ Disciplinæ necessitas; quandoquidem enim verò homo, cùm ad finem supernaturalem Deumque ipsum ordinatus sit, proul dubiò indiget aliqua facultate, quæ idum ad finem istum, qui naturales ingenii vires longè superat, dirigere valeat: id verò aliæ quæcunque scientiæ humanæ, aut ulla Philosophicâ Disciplina neutiquam præstare possunt, quippe quarum objectum intra naturæ limites coarctatur. Sola videlicet Theologia, suprema illa omnium facultas, ad hunc finem omninò est necessaria.

Et verò demus etiamnum, hominem ad finem supernaturalem haud esse ordinatum, nec indigere edoceri mysteria, quæ solâ fide innotescunt; quis tamen non videat, eidem nihilominus necessariam adhuc fore Theologiam, quâ videlicet illas veritates edoceatur, quæ de Deô etiamnum lumine naturali cognosci possunt? Enimverò nemo, qui ratione et judiciô utitur, infitias,

ut arbitramur, ire poterit, veritates illas, quæ de Deo naturaliter, et solâ rationis investigatione attingi possunt, paucos duntaxat, et nonnisi post multa annorum spatia, necnon cum multorum errorum admixtione assequi; paucos quidem, tum propter temperamenti indispositionem, qua multi naturaliter ad scientias sunt inepti; tum propter humani laborem abhorrentis ingenii pigritiam; post longum etiam tempus duntaxat, tum quia scientia de Deô omnium naturalium scientiarum apparatum supponit, tum quia status juventutis, variis passionum motibus fluctuans, non parùm impeditur; nam animus quiescendo fit sciens, ut ait Philosophus; tum propter multiplicia vitæ civilis negotia, quæ animum à studiis avertunt. Denique cum admixtione multorum errorum, rari illi, si tamen qui sint, post incredibiles exantlatos labores ad divinorum notitiam perveniunt, tum propter humani intellectûs in judicandô debilitatem, tum propter diversas sapientum opiniones, tum propter sophistarum argutias: unde factum, ut ipsi scientiarum humanarum Patres et Coryphæi in tot et tantos errores lapsi sint; quæ omnia et alia plura, quæ temporis angustiæ gratiâ prætermittimus, si sciâ mente revolvere velimus, facilè dignoscemus, non modò utilem, sed et

apprimè necessariam esse faultatem aliquam, divinæ revelationi innixam, Theologiam nempe, qua veritates divinæ etiam naturâ duce cognoscibiles, et à multis, et per breve tempus, neuon absque ulla erroris permixtione comparentur.

Quòd si igitur in Ecclesiâ adeò necessaria est Theologia, prout sat abundè à nobis fuisse demonstratum arbitramur; proh, quàm damnanda venit illorum incuria, qui Sacris dicati, vel in Ecclesiasticâ dignitate constituti, vel saluti animarum instituti sui, quod amplexi sunt, vocatione addicti, Sacrum et sublime hoc Theologiæ Studium negligunt? Quomodò, prout tamen tenentur, poterunt esse Sal terræ, Lux mundi? quomodò requiretur lex ex ore eorum, et parvulis doctrinæ panem petentibus, quomodò frangent?

Non satis equidem deplorandæ videtur miserorum hujusmodi hominum sors, quippe qui proprium institutum et ministerium, cui se ultrò manipârunt, obliti, execrandâ desidiâ adeò salubre et necessarium Sacræ Theologiæ Studium tam turpiter negligunt. At etiam, nostrò judiciò, non minus lugenda venit ascriptitiorum, quo nomine eos Melchior Canus nuncupat, Theologorum illorum indoles, qui, nescio, quo infelici fatò

lib. 8. de Loc. Theol.

à rectô tramite abducti, neglectô verô et necessariô Sacra hujus Disciplinæ Studiô, innumeris pene futilibus simul et obscuris quæstionibus, quas si enumerare in animum inducerennus, dies nos deficeret, eam replent.

Apud ipsos Bibliorum Sacrorum testimonia rarissima, Conciliorum mentio nulla, nihil redolet ex antiquis Patribus. Nauci floccique scilicet hæc ab ipsis pendi videntur; contrà, præstantium, si superis placet, Theologorum munus implevisse se arbitrantur, modò argutè de inutilibus juxtà ac inertis abstrusisque quæstionibus verba facere, nec non Sophismatum faces in Scholas invehere valeant: ad discordiam nempe nati, tum optimè disservisse se autumant, cùm contra doctiores dixerint, nec tam verum invenire vele videntur, quàm inanibus concertationibus et risis chartas implere; sicque egregii opinatores et Sophistæ potius audire merentur, quàm Theologi.

Quis enim, amabo, eos Theologos nuncupare velit, qui quid super qualibet Theologicâ quæstione doceat Scriptura, quid Patres, quid Concilia definierint, ignorant, sed, quod ipsis Laudatus Canus meritò exprobrat*, Universas quæstiones frivolis argumentis absolvunt, et pondus rebus gravissimis detrahunt?

Utinam ergo tandem ad frugem

* loc. cit.

se recipiant, aliamque suorum studiorum rationem ineant; necnon abjectis, quibus passim Scholæ abundant, inutilibus et vanis quæstionibus, ea duntaxat expendenda suscipiant, quæ viros Ecclesiæ ministerio addictos deceant, et è quibus tùm ipsi, tùm illorum proximi utilitatem non modicam sperare possint.

Quod nos spectat, haud opus esse arbitramur, ut pluribus exponamus, ad quam normam nostrum, quod modò auspicamur, Theologicum studium dirigere animus sit; idenim vel ea, quæ primùm contra sanæ Theologiæ corruptores disseruimus, satis superque manifestant. Procul nempe abjectis omnibus vanis et futilibus quæstionibus, quibus hanc sacram disciplinam ascriptitii Theologi illi obscurarûnt potiùs quàm illustrarûnt, ea duntaxat sectabimur, atque expendenda suscipiemus, quæ sana et jucunda, necnon ad finem, in quem omnes tendimus, obtinendum nobis simul et proximis nostris proficua, imò necessaria fore perspexerimus. Hacque ratione veram Theologiam divinamque scientiam nos adepturos speramus.

Verùm enimverò, ut quod sentimus, candidè fateamur, hæc nobis haud multùm proderit, quin potiùs nocitura est, nisi verâ pietate fuerit condita. Sanè sicut recta hominis constitutio duo-

bus oculis, ambabus manibus, binis auribus, utroque pede consurgit; sic vir omnis, sed præcipuè Ecclesiæ Minister Scientiâ et pietate constare debet: Hæ sunt duæ alæ Seraphim, juxta expositionem S. Bernardi*: Opinor, inquit, non incongruè per pennas istas agnitionem et devotionem intelligi posse, quibus in eum, qui supra cœlos est, Seraphim rapiuntur. Citò ruet, qui una tantùm ala volare contendit, ubi verò intelligentiam Charitas, agnitionem devotio comitatur volet securè, quisquis hujusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem. Illu et nos volabimus, si idipsum à nobis præstitum fuerit, nec non ea, quæ didicerimus, pietatis operibus illustrare studuerimus. Theologia quippe est filia Fidei, quæ sine operibus mortua est; et Præceptoris illius Discipula, qui cœpit facere et docere.

* Ser. 4. de verb. Isai.

Iis, qui discunt, et non faciunt, adaptat S. Gregorius illud Ezech. 34: Cùm ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, et oves meæ, quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. Quæ sic exponit*: Aquam limpidissimam Pastores bibunt, cùm fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam pedibus conturbare, est sanctæ meditationis studia malè vivendo corrumpere. Aquam eorum pedibus

* 1. part. Past. c. 2.

turbatam oves bibunt, cùm subjecti quique non scitantur verba, quæ audiunt, sed sola, quæ inspiciunt, opera pravitatis imitantur.

Succinit egregiè S. Bernardus*: Da-bis, inquit, voci tuæ vocem virtutis, si quod habes, idud prius tibi noveris persuasisse. Item*, Cibus, ait, indigestus, et qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, et corrumpit corpus, et non nutrit: ita multa scientia ingesta stomacho animæ, quiesit memoria, si decocta igne charitatis non fuerit et sic per quosdam artus animæ, mores scilicet, atque actus transfusa, nonne illa scientia reputabitur in peccatum? An non inflationes et torsiones in consientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum, et non faciens?

* Serm. 69. in Cant.

* Serm. 36.

Absit autem à nobis hæc morum propagatio; quin è contra Theologium studium nostrum eâ ratione instituere animus est, ut, quæ improbô labore didicerimus, hæc pietatis operibus comprobemus.

Verùm hæc de studii nostri Theologici ratione et modô dicta sufficiant. Nunc prinsquam ipsa Theologiæ viscera perscrutemur; quid ipsa sit, et quænam præcipua illius dotes, exponendum est.

Jam suprà diximus, Theologiam secundùm Etymon suum nihil aliud sonare, quàm Sermonem de Deo seu divinum Sermonem. Triplici autem

ratione generatim ipsa accipitur. Etenim quicunque Sermo de Deo, vel in solo lumine naturali, vel in simplici et nudâ revelatione in se proximè spectatâ, vel in discursu ratiocinationis ex revelatione divinâ deducta nititur. Hinc Theologia naturalis, qua Deus lumine naturæ utcumque cognoscitur: deinde Fides, qua mens veritati cuidam assentitur propter auctoritatem Dei revelantis: postremùm Theologia nostra Disciplina, quæ simpliciter et absolutè Theologia nuncupatur; necnon accuratè definiri potest: Disciplina, quæ de rebus divinis ac supernaturalibus disputat, et disserit, ut ex veritatibus à Deo revelatis, fideique Catholicæ principiis cùm de ipso Deô, tùm de creaturis conclusiones, seu consecutiones eliciat, quibus fidei mysteria explanet, suadeat, confirmet, ac tueatur.

Unde patet 1mò, quodnam sit Theologiæ nostræ objectum et finis, seu propositum. Res divinæ scilicet ac supernaturales ab ipso Deô revelatæ, sunt objectum ejus velut materiale, ut ajunt; quod quidem cum fide et Beatorum scientiâ commune habet Theologia. At quasdam consecutiones ex rebus à Deo revelatis deducendi virtus est propria differentia, quâ commune objectum idem ad solam Theologiam contrahitur; atque adò constituit objectum ejus formale. Quidquid autem ex revelatis per rectas ratiocinationes elici potest, vulgò dicitur

objectum Theologiæ adæquatum, seu totum, quia scilicet de omnibus, quæ in Theologiâ tractantur, prædicari potest in rectô casû, seu, ut ajunt, Nominativô.

Quòd si objectum primarium ac præcipuum Theologiæ sorsim spectetur, profectò illud est ipse Deus; Secundarium verò, et minus principale est quidvis aliud, quod à Theologis consideratur. Deus etiam à Scholasticis dicitur objectum attributionis, eo quòd quæcunque in Theologiâ expendantur, ad Deum aliquâ ratione semper revocari possint.

Præterea ex eâdem Theologiæ definitione à nobis allatâ perspicuum est, quanam ratione tum à Theologiâ naturali et Metaphysicâ Disciplinâ, quæ etiam Deum contemplatur; tum à Divina Fide distet ac diversa sit Theologia simpliciter dicta. Siquidem Theologia naturalis aut Metaphysica solo naturæ lumine Deum considerat; Theologia verò à Divinâ revelatione suam de Deô notitiam mutuatur; à Fide tamen in hoc differt, quòd Fides revelatione Divinâ proximè et immediatè in se spectatâ nitatur; at Theologia evidenti discursû seu ratiocinio nitur, quo ex veritatibus à Deo revelatis quædam eliciuntur consectaria et conclusiones non proximè ac immediatè, sed remotè duntaxat, seu mediatè.

Quapropter virtualis et mediata revelatio dici solet Objectum forma-

le quo Theologiæ suum attingit objectum.

Hæc sequenti exemplô elucidantur: Quòd detur aliquod Ens supremum, quod omnia, quæcunque in rerum naturâ existunt, regat, et à quo ipsa pendeant, nempe Deus, id lumine naturali nobis est perspicuum. Quòd verò Deus factus fuerit homo, atque sic humanam naturam divinæ conjunxerit; id fides nos docet, ut pote quod à Deô immediatè nobis revelatum fuerit. At quòd in Deô homine Christô sit una duntaxat persona, duæ verò voluntates et operationes, una divina, humana altera; id per discursum seu ratiocinationem ex primô necessariò fluit; adeoque virtualiter et mediatè duntaxat nobis revelatum fuit; Deus enim revelando prius, revelavit etiam virtualiter posterius.

Denique ex nostrâ Theologiæ definitione, quisnam sit Theologiæ finis ac propositum, satis liquet: nempe Mysteria fidei per rectas consecutiones ex veritatibus à Deo revelatis deductas explanare, suadere, confirmare ac tueri. Hoc est quadruplex Theologiæ propositum, proprumque Theologorum munus et officium.

Quærunt hic Theologi, num Theologia sit Scientia, et an Speculativa tantùm, vel simul etiam practica? An Beatorum Scientiæ subalternata,

seu subipsâ contenta? Denique, ut alias minoris momenti quæstiones omittamus, an sit Scientia Supernaturalis?

Adque breviter respondemus: et quidem. Ad primum: fatemur Theologiam non esse Scientiam ejusdem prorsus generis seu speciei ac sunt Scientiæ naturales. Constat enim ex iis, quæ in prologiio in Universam Philosophiam nuper annotavimus, duplicem evidentiam cuilibet Scientiæ naturali competere, scilicet evidentiam principiorum, quæ vulgò dicitur, evidentia consequentis, et evidentiam consecutionum ex principiis evidenter cognitis elicitarum; quam vulgò vocant evidentiam Consequentiæ; Quia verò Theologia iisdem ac Fides, nititur principiis, quæ in se ipsis nonnisi obscurè cognoscuntur, utpotè quæ non evidentiâ quâdam, sed solâ divinâ revelatione claescunt: hinc patet, eam esse longè diversam à Scientiis naturalibus: Nihil tamen obstat, quominus dicatur Scientia proprè dicta, quod sequenti argumentò evincimus.

Quelibet cognitio certa per evidentem discursum ex principiis certis et firmis deductum parta generatim dici potest Scientia proprè dicta. Atqui Theologia per evidentem discursum (ex principiis firmis et certis deductum certam multarum veritatum cognitionem assequitur. Ergo sd.

4

Nec valet, si dicas, ad Scientiam proprié dictam non modò requiri evidentiam consecutionum seu consequentiæ; sed etiam ac præcipuè principiorum seu consequentis, ex quibus hujusmodi consecutiones deducuntur.

Nam respondemus: Equidem Veteres Philosophi perspicuitatem seu evidentiam principiorum requiri dixerunt, at non aliâ de causâ, quàm ut certæ et stabiles essent: videbant enim ac sentiebant, animum tamdiu fluctuare, quamdiu evidentia abesset, et ipsâ obscuritate incertas opiniones gigni: Scientiam igitur ut ab opinione segregarent, illam esse oportere evidentem sanxerunt. At cùm Theologia aliundè, quàm ab evidentiâ principiorum suorum firmitatem et certitudinem repetat, à fide scilicet, quæ autoritate Dei revelantis nititur; sicque sine ullâ principiorum suorum perspicuitate, nihilominus certa sit et firmissima cognitio; non est, ut scientia proprié dicta nominari non debeat: ut enim ait S. Augustinus, id scire dicimur, quod certò novimus.

Adde, quòd nec sua Theologiæ perspicuitas deest. Ut enim omittamus evidentem conclusionum suarum cum iis, quibus nititur, principiis connexionem; hæc ipsa principia certis quibusdam argumentis extrinsecis diluciдè demonstrat esse revelata. Adeo ut, etsi Theologiæ principia non sint intrinsecè evidentia, habitâ ratione cogni-

tionis principiorum, attamen extrinsecus sunt evidentia, prout accuratius exponetur, ubi de fide erit sermo.

Quoad Secundum, Respondemus: quod, cum, prout in Philosophiâ nostrâ docuimus, Scientia à modô, quo suum attingunt objectum, suam differentiam et speciem desumant, Theologia verò non tantùm considerat objecta speculabilia et speculativô modô v.g. Deum esse unum et trinum; sed etiam practicô, ubi enim de virtutibus agit, docet amandum esse Deum, injurias proximo condonandas: Secundùm diversum respectum, et pro variis suis partibus Speculativa sit, et practica eminentiori quodam modô. Deum quippè præsertim attingit, qui simul est prima veritas et ultimus rerum omnium finis, in quem tendimus; illumque adeò non modô cognoscendum sed et possidendum nobis exhibet.

Nec officit, quòd objiciatur, nullam esse in Theologiâ veritatem, quæ ad praxim non dirigat; ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ liquidem mysteriorum etiam speculativorum cognitione, qualia sunt Trinitatis et et Incarnationis, utitur Theologus, ut suas operationes rectè instituat. Ergo ~~Theologia~~ est scientia merè practica.

Distinguimus enim antecedens: Nulla est veritas, quæ ad praxim non dirigat, vel per se, vel per accidens, sive ex primario sive ex secundario fine, concedo: Per se seu ex primario fine, neg. ant. et conseq. Mysteriorum v.g. Trinitatis et Incarnationis cognitio per se et primario in mera mentis speculatione et contemplatione consistit, eatenus tamen ad praxim dirigit, quatenus eâ Theologus utitur, ut suas actiones benè instituat; adeoque per accidens duntaxat et secundario ad praxim tendit.

Contrario argumento objiciunt aliqui: Illa Scientia non est practica, cujus objectum non est operabile: Sed Deus, qui est objectum Theologiæ, non est operabilis: Ergo Theologia nulla sui parte est practica.

Resp: quod, quia non gressibus corporeis ad Deum accedimus, sed mentis affectibus, ita etiam Deus non sit operabilis physicè, sed moraliter duntaxat; quatenus scilicet cum bonis et Christianis actibus assequimur, visione tandem et fruitione possidendum.

Ad tertium, Respondemus: quod si, ut quædam Scientia alteri subalternata, neuon sub eâ contineri dicatur sufficiat, quod idem sit utriusque finis, seu finis unius subordinetur fini alterius; quod subalternata mutuetur

à subalternante principium aliquod, licèt sua propria habeat; quòd objectum unius contineatur sub objectò alterius, vel potiùs sit ipsummet objectum Scientiæ superioris addens aliquam differentiam accidentalem; et denique, quòd una simul cum alterâ consistere possit: nihilobest, quin dicamus Theologiam sive Scientiæ Beatorum subalternatam: nam primò habet eundem finem, qui est cognitio summæ veritatis, ut est in se: desumit omnia sua principia, veritates nempe divinas, ab illâ, quæ per fidem nobis communicantur: habet etiam idem objectum cum aliquâ differentiâ accidentali, nempe Deum sub lumine revelationis virtualis cognitum; accidentale enim est Deo, sive per lumen gloriæ, sive fidei cognoscatur. Denique Theologia nostra cum scientia beatorum simul consistere potest, imò potiùs post hanc vitam erit eadem cum illa, nam quòd hic ex principiis obscuris consecutiones suas deducat, id ei per accidens est, ratione status videlicet, quem habet in intellectu nostrò, qui quamdiu peregrinatur à Deò, divina cernit in ænigmatè; quas obscuritatis tenebras omnes expellet clara Dei visio; adeoque quod ipsi hic certum quidem est, sed nonnisi lumine fidei videt, id ipsum ibi lumine gloriæ cernet.

Ad quartum denique Respondemus, Theologiam extrinsecè, et quasi præsuppositivè esse Scientiam Supernaturalem, id est, tùm ratione objecti sui primarii, qui est Deus; tum ratione principiorum, quæ à divinâ revelatione mutuatur. At per se, et ex naturâ suâ videtur ~~la~~ esse Scientia intrinsecè naturalis, quia naturali modò, hoc est, rationis usu ~~comparatur~~ objectum suum attingit, et labore atque industriâ comparatur; nemon principia fidei, seu à divinâ revelatione provenientia, quibus Theologia nititur, sunt ipsi præsupposita et aliquatenùs extrinseca, nec illis proximè et immediatè, sed evidenti connexione conclusionum ex veritatibus à Deo revelatis deductarum proximè nititur.

Superest, ut hic adhuc recensearmus, quotupliciter Theologia dividatur; licèt enim unus et idem formaliter sit habitus, varias tamen divisiones sortitur, tum ratione subjecti; tum ratione objecti; tum ratione terminorum, quibus utitur; tum denique ratione methodi, quâ traditur.

Primò quidem ratione subjecti in quo recipitur, Theologia vulgò distribuitur in Theologiam viatoris, quæ est Scientia discursiva ex principiis à Deo revelatis, et in Theologiam Comprehenso-

ris seu Beatorum, quæ consistit visione beatificâ, quâ divinam essentiam omniaque Fidei mysteria in ipsâ clarè ~~intuetur~~ intuentur.

Deinde Theologia, si ratione objecti spectetur, à cujusque arbitriô pendet in plures vel paniores Tractatus seu libros, pro variis argumentis ad res divinas et ad religionem pertinentibus, eam partiri. Nos nostram in quatuor Tomos ita distribuemus, ut quilibet Tomus plures libros seu tractatus contineat, quos infra recensebimus.

Tertiò, Theologia ratione terminorum seu verborum, quæ usurpat, dividitur in Symbolicam et Demonstrantem. Symbolica dicitur, quatenus figuratis ac mysticis loquutionibus ex arcanô quodam et subtili sensu intelligendis utitur; quod Theologiæ genus mysticam et arcanam Theologiam complectitur. Mystica autô Theologia est cognitio infusa de Deô rebusque divinis, quæ animum suavi, devotô, et affectivô modô commovet, eumque Deo intimè conjungit, mentem illustrando et voluntatem inflammando modô affectivô et extraordinariô. Brevius, Mystica Theologia seu affectiva est ea, quæ affectus in Deum dirigit, et movet, seu ad movendos in Deum affectus tendit.

Demonstrans autem dicitur, quatenus res divinas explicat verbis usitatis et in propriâ significatione usurpatis.

Ratione modi seu methodi, alia est Theologia positiva, alia Scholastica. Positiva dicitur ea, quæ conclusiones suas probat per principia positiva, hoc est, per principia, quæ non probantur, sed supponuntur et credunturur, qualia sunt ea, quæ desumuntur ex verbo Dei scripto vel tradito, nobisque per Ecclesiam proposito. Scholastica autem sic dicta, quòd in Scholis tradatur atque discatur, est re ipsa eadem, idemque præstat ac Positiva; diversò tamen modò, à Scholæ Magistris duodecimò circiter Ecclesiæ sæculò in Scholis introductò, et usque ad nostra tempora continuatò, majori videlicet cum methodò, hoc est, accuratiùs, subtiliùs, et ad artis syllogisticæ regulas accommodatiùs, suasque conclusiones interdum, et per accidens extraneis confirmans, et illustrans argumentis; ut sic facilius iis, qui deforis sunt, Catholicam persuadeat fidem, et omni posenti de eâ, quæ in nobis est, fide, rationem reddat.

Utraque tam Positiva, quàm Scholastica Moralis dicitur, si morum informationem attingat, hoc est, si ad informandos hominum mores tendat. Polemica verò, sive Controversa vocatur, si de rebus

controversis, sive contra infideles et haereticos, sive contra fideles agat. Nos Theologiam nostram ita instituemus, ut Scholasticam, Positivam, Moralem, et Polemicam simul complectatur, adeo ut Universalis Theologiae nomen meritò sibi vindicare videatur.

Proinde Quatuor Tomis eam comprehendemus, in quorum Primò de Locis Theologicis tractabimus. In Secundò de Deò; Angelis; Incarnatione; et Gratiâ. In Tertiò de actibus humanis; de Legibus; de Virtutibus Theologicis; Religionis; et Moralibus; necnon de Vitiis et Peccatis. In Quartò denique de Sacramentis, tum in genere, tum in specie. Haec Theologiae nostrae Oeconomia. Utinam ergò Studio nostro Deus largam benedictionem suam impertiri dignetur.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST